

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0513

Sabato 03.08.2013

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI A SAN SALVADOR (11 AGOSTO 2013)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI A SAN SALVADOR (11 AGOSTO 2013)

In data 15 giugno 2013 è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Jaime Lucas Ortega y Alamino, Arcivescovo di San Cristóbal de La Habana, ad Inviato Speciale del Santo Padre alla **celebrazione conclusiva del 1° centenario dell'elevazione ad Arcidiocesi metropolitana di San Salvador** e dell'**erezione delle Diocesi di Santa Ana e di San Miguel**, nonché alla **cerimonia di chiusura del Congresso Eucaristico nazionale di El Salvador**, in programma l'11 agosto 2013.

Il Cardinale Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Mons. Secundino de Jesús Delgado Acevedo, Vicario Generale dell'Arcidiocesi di San Salvador;
- Rev.do Don José Gabriel Flores Rodríguez, Rettore del Seminario maggiore di Filosofia "Beato Juan XXIII", con sede nella Diocesi di Santa Ana.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Jaime Lucas Ortega y Alamino:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
IACOBO LUCAE S.R.E. Cardinali ORTEGA Y ALAMINO
Archiepiscopo Metropolitanæ Sancti Christophori de Habana

Ecclesialis communitas Sancti Salvatoris in America, quam Praedecessor Noster sanctus Pius X, pastoralibus prospiciens necessitatibus, die XI mensis Februarii anno MCMXIII ad gradum Metropolitanæ Ecclesiae elevavit quique eodem die dioeceses suffraganeas Sanctæ Annae et Sancti Michaëlis condidit, grato animo centenariam celebrat elevationis et institutionis memoriam. Dilecti istius Metropolitanæ Ecclesiae fideles, diligentibus Pastoribus et sacerdotibus moderantibus, hunc eventum recolentes, spiritale iter assidue

perscrutantur atque Domini vocem prompte accipere nituntur. Multa revera adimplentur ab anno praeterito pastoralia incepta quae Venerabilis Frater Iosephus Aloisius Escobar Alas, Archiepiscopus Metropolita Sancti Salvatoris in America, Venerabilis Frater Romaeus Tovar Astorga, O.F.M., sacrorum Antistes Sanctae Annae, nec non Venerabilis Frater Michaël Angelus Moran Aquino, sacer Pastor Sancti Michaëlis, suis proposuerunt fidelibus cunctisque hominibus bonae voluntatis ut omnes Domini largitatem clare laudare vellent atque incitamentum experiri ad renovatam vitam sub Christi lumine assidue sequendam.

Novimus insuper hanc Metropolitanam Ecclesiam *Annum iubilarem* a die VI mensis Augusti praeteriti anni celebrare, qui Congressu Eucharistico Nationali proximo mense Augusto concludetur. Hanc ob rem memoratus Archiepiscopus Metropolita, Praeses Conferentiae Episcopalis Salvatoriae, humanissime illustrem Decessorem Nostrum rogavit ut aliquem eminentem virum mitteret, qui Summi Pontificis vices in urbe Sancti Salvatoris in America gereret Eiusque erga istum gregem dilectionem manifestaret. Ad Te autem, Venerabilis Frater Noster, qui pergrave munus Archiepiscopi Metropolitae Sancti Christophori de Habana diligenter exerces, mentem Nostram vertimus Teque hisce Litteris MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM nominamus ad conclusionem dictarum celebrationum et Congressus Eucharistici Nationalis, quae in urbe capite Salvatoriae die XI proximi mensis Augusti sollemni modo perficietur.

Celebrationi praesidebis Eucharistiae atque Archiepiscopum Metropolitanam aliosque sacros Praesules, potissimum dioecesium Sanctae Annae et Sancti Michaëlis, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro salutabis nomine. Omnes adstantes sermone tuo ad diligentiore usque Christi vitae imitationem cohortaberis. Optamus denique ut cuncti, illustrem historiam Metropolitanae Ecclesiae Sancti Salvatoris in America recolentes, novis viribus novoque studio peculiarem dilectionem erga Christi Ecclesiam et Evangelium demonstrent atque fidei alacritate in cotidiana vita emineant.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis Iunii, anno MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

FRANCISCUS

[01144-07.01] [Testo originale: Latino]

[B0513-XX.01]
